



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Melos, Sive Oda De Nuptiis VVolfgangi Rechlinger, Caroli  
VVolfgangi F. Patricij Augustani, Sponsi nobilissimi: Et  
Euphrosynae Hainzeliae, Magni illius Ioan. Baptistae  
Septemviri F. Patriciae ...**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1582**

Epigrammata quaedam alia, eiusde[m] generis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12450**

EPIGRAMMATA  
quædam alia, eiusdē generis.

Laus Matrimonij.

Q HORATII FLACCI

*Felices ter, & ampliùs:*

*Quos irrupta tenet copula: nec malis  
Diuisus querimonijs,  
Suprema citiùs soluet amor die.*



Typus coniugij.

AVR. PROPERTII.

*Exemplo juncta tibi sint in amore columba  
Masculus, & eorum femina coniugium.*



Finis coniugij.

L. ANN. SENECAE.

*Prouidit iste maximus mundi parens:  
Quum tam rapaces cerneret faci minas:  
Vs dumna semper sobole repararet noua.*

REVVS.

N. REVSNERI.

*Nec mundus sine sole, nec est sine prole, quod ai-  
Felix conjugij, lætificusque torus.* (unt<sub>3</sub>)

GREG. BERSMANNI.

*Vilescit sine fruge solum, sine fructibus arbor:  
Et sine luce focus, & sine prole torus.*



Felicitas coniugij.

AVR. PROPERTII.

*Felix Admeti coniux, & lectus Vlysis:  
Et quæcumque viri fœmina limen amat.*



Tranquilitas coniugij.

N. REVSNERI.

*Coniugium felix vt sit, blandumque : maritus  
Surdus sit, coniux cæca sit ipsa domi.*

SEBAST. SCHEFERI.

*Altera luminibus quando caret, auribus alter:  
Improba coniugium tale querela fugit.*

Pari-

Paritas coniugij.

P. OVIDII NASONIS.

*Ab malè inæquales veniunt ad aratra iuuenes:  
Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

IVL. CÆS. SCALIGERI.

*Iactatum ab epigrammate luculenter audi:  
κατὰ σαυτὸν εἰλα: maxima concordia lecti est.*



Concordia coniugij.

IVL. CÆS. SCALIGERI.

*Concordia fratrum, atque tori, sunt duo rara:  
Sed rara duo fœdera firmissima cœli.*

N. REVSNERI.

*Felix est vxor, felixque maritus: amantium  
Par, quum par coniux ducit vterque iugum.*



Coniugium γλυκὺ πικρῶν.

GREG. BERSMANNI.

*Dulcis amarities amor est: tibi tristia letis  
Alternans miscet dulcis amarus amor.*

CONR

CONR. LEII OROCRENII.

*Coniugium primus qui DVLCE vocavit AMA-*  
(R/M:

*Is docuit, quicquid tæda jugalis habet.*

EIVSDEM.

*Coniugium Latio cur dictum est tæda jugalis?*  
*Anne quod istud habet tædia multa jugum?*



Probæ vxoris virtutes.

M. ACCII PLAVTI.

*Non probæ ego vxoris doxem esse duco, quæ dos*  
(dicitur:

*Sed pudicitia, & pudorem, & sedatum cupidinē:*  
*Desim metum, parentum amorem, cognatum con-*  
(cordiam:

*Morigera vt viro, & munifica sit bonis, ac proste*  
(probis.

Q. HORATII FLACCI.

*Dos est magna parentium*

*Virtus: & metuens alterius viri*

*Certo fœdere castitas:*

*Et peccare nefas, aut precium est mori.*

D. AVSONII.

*Quæ dos vxoris pulcerrima? Vita pudica.*

IVL.

IVL. CÆS. SCALIGERI.

*Ne jactet cui stemmata, ne patris talenta,  
Non dote, sed esto ardua matrona pudore.*




Malæ vxoris aciditas.

IVL. CÆS. SCALIGERI.

*Vxoris ineptos animos, atque proteruos  
Obtundere si non potes: hoc tibi putato  
Datum, ad exacuendum patientiam virilem:  
Nec verba timeto fera: nec sperne monentem.*

N. REVSNERI.

*Spontè fer vxoris vitium, vel tolle coactus.  
Si fers, tu melior: sin tollis, fortè fit ipsa  
Commodior, quòd si potes hoc vtroque carere:  
Felix es nimium coniux, nimiumque beatus.*



IN AMOREM.

P. MELISSI.

*Nil amor est aliud, si nescis, quàm sine vita  
Viure: nil aliud, quàm sine morte mori.*

IO. POSTHIL.

*Nil ego amare aliud puto, quàm sine viuere vita:  
Quàm sine morte mori: requies est plena laborum*

*Stultus*

Stultus amor: longo comitata dolore voluptas.  
Principiumque malorum idem, finisque bonorum.

N. REVSNERI.

Mors viuens amor est, aut certè mortua vita:  
Irrequieta quies: dulcis amaror amor.

EIVSDEM.

Qui mortem in vita, vitamque in morte ministrat:  
Res est iucundi plena doloris Amor.

EIVSDEM.

Mors sine morte, amor est: sine vita, vita: quid in-  
Nec moritur, viuit nec sibi, quisquis amat. (de?)

EIVSDEM.

Omnis amans, amens: amor est amentia: nemo  
Sanus in insano prorsus amore sapit.

IVL. CÆS. SCALIGERI.

Nullam oderis: at quæ te amat, hanc amare te  
(æquum est:

Quæ te non redamat, dixero te hanc amare stultè:  
Perdes operam, rei que amata eris molestus.

~~~~~  
VT AMERIS, AMABILIS ESTO.  
~~~~~

FINIS.

~~~~~  
L A V I N G Æ

Excudebat Leonhardus Reinmichælius.